



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio VIII. Ad quid teneatur dubius de Voto, Juramento, aut Promissione?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

est actus intellectus, & voluntatis, ut docet P. Soar. lib. 6. de Legib. cap. 6. num. 2. & 5. & cum eo P. Pal. d. 3. de conscient. punct. 8. num. 1. Hoc poſito.

158. **Q**uestio præſens est, utrùm in casu dubio, si consulti poteſt superior, licitum sit uti Epikēiâ, sive interpretatione legis? Negative. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 120. art. 1. in corpore, & ad 3. & quæst. 96. art. 6. ad 2. Caiet. ibid. Medin. C. de Penit. tract. de fejunio, Sor. lib. 1. de Just. quæst. 6. art. 8. §. Tertia, & §. Ad hujus, P. Sanch. lib. 2. de Matrim. d. 41. n. 37. P. Soar. lib. 6. de Legib. cap. 8. num. 10. P. Vasq. de Euchar. d. 219. cap. 4. num. 43. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 8. num. 2. Joan. Sanchez d. 43. num. 8. Diana part. 4. tract. 3. resol. 23. P. Laym. tomo 1. tr. 4. cap. 19. num. 3. & 4. & alii. Probatur, quia aut dubium est de voluntate, aut de poteſtate superioris, an scilicet voluerit, vel potuerit obligare; sed in nullo ex his licet uti Epikēiâ; ergo &c. Probatur minor quoad primam partem, quia operari cum conscientiâ dubiâ, quando ipsa deponi poteſt, est peccatum ob periculum, cui exponitur sic operans; sed quando dubium est, an superior voluerit obligare in tali casu, poteſt deponi ex ipsius superioris consilio, & declaratione; ergo non licet in tali dubio uti Epikēiâ, sive operari superiore inconsulto.

159. **P**robatur minor quoad secundam partem, quia in dubio de poteſtate superioris, an scilicet potuerit obligare, quamdiu clarè non constat de ejus impotentia, iniquum & injustum videtur, quod quis interpretetur, non posse obligare, & legem deficere, cum pro lege, & poteſtate superioris sit possessio; nemo autem poteſt licitè possessorem suâ possessione spoliare; ergo &c.

160. **U**trùm autem in casu urgenti, in quo superior consulti non poteſt, possit quis uti Epikēiâ? Affirmant Sylvest. verb. Papa, q. 16. dicto 2. sine, & verb. Dispensatio, quæst. 4. Cordub. in qq. lib. 3. quæst. 13. ante regul. 1. P. Henric. lib. 14. de Irregular. cap. 3. num. 3. litt. X. & consentit P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unice, sect. 25. num. 260. Ubi dicit Doctores contrarium opinantes exponendos esse, quando nulla est necessitas operandi cum illo dubio: aut quando dubium est completè practicum, & strictè sumptum; nam contra tale dubium non licet agere; secus autem in dubio speculativo, & incompletè practico; siquidem quando rationabiliter dubito, an superior velit me obligare, possum sequi partem minus tutam, ad vitandam notabilem incommoditatem; sed in prædictis casibus dubito, an superior velit me obligare; ergo rationabiliter possum in partem minus tutam inclinare.

161. **N**ihilominus tenenda est communis sententia asserens in prædicto casu servandam esse legem, & non posse uti Epikēiâ. Ita D. Thom. Sor. Medin. P. Vasq. P. Soar. P. Sanch. Joan. Sanch. P. Pal. supra cit. Probatur, quia in tali casu lex est certa; siquidem certè constat, ut supponimus, talem casum comprehendere, & solum est dubium, an legislator voluerit, vel potuerit illum casum comprehendere, & sic me obligare, sed quamdiu non probatur legislatoris impotentia, aut nolitio, pro lege debet stare præsumptio, utpote possidente, quando autem lex possidet, obligat; ergo &c.

162. **U**nde ad Doctores contrarium asserentes dicendum est cum P. Pal. P. Sanch. & aliis cit. intelligendos esse, non de dubio æquilibri, sed de formidine, quando scilicet est probabile iudicium, licet cum formidine, superiorem, aut non potuisse, aut noluisse in tali casu obligare; tunc enim cum hujusmodi iudicium efficiat opinionem, licet minus probabilem, quam cuique integrum est sequi, prout

supra diximus, idèd in prædicto casu dici poteſt, legem non obligare.

163. **A**dhuc tamen P. Soar. cit. lib. 6. de Legib. cap. 8. num. 12. limitat supradictam doctrinam, ita ut solum procedat, nisi hujusmodi lex alteri legi graviori dubitetur contrariari; siquidem tunc, inquit, licet graviorem legem exequi, omiſſâ minori; illa enim concurrentia legum est sufficiens ratio deponendi practice conscientiam dubiam, ne homo sit perplexus. Non placet: Primò, quia lex illa, sive præceptum minus, est certum; lex autem, sive præceptum illud majus, est dubium; ergo quamdiu non constat alteri legi superiori, sive graviori contrariari, possessio stat pro lege, sive præcepto certo; ergo hoc obligat, & servandum est.

164. **S**ecundò, quia conjux dubius de morte prioris cõjugis, tenetur præſenti debitum reddere, licet reddidit debiti cõtraria sit tam juri prioris cõjugis, quam temperantiæ, quod est gravius, quam non reddidit debiti, quæ solum contrariatur juri præſentis conjugis; sed idèd sic poteſt reddere, quia lex temperantiæ, & juris prioris conjugis est dubia; & lex reddendi debitum conjugi petenti, est certa, & possidens; lex autem dubia non poteſt prævalere adversus legem certam, & possidentem; ergo similiter. Ita P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 8. n. 5.

## SECTIO VIII.

### Ad quid teneatur dubius de Voto, Juramento, aut Promissione?

165. **D**IFFICULTAS I. Utrùm dubius de Voto, juramento, aut promissione ad eorum impletionem teneatur? Negative. Ita tenent, si factâ diligentia, vinci dubium non poteſt. Sor. lib. 7. de Just. quæst. 3. art. 2. Grass. lib. 2. decif. cap. 31. fin. P. Henric. lib. 11. de Matrim. cap. 11. num. 5. & lib. 8. de Euchar. cap. 45. n. 3. Roderig. tom. 1. sum. cap. 99. num. 5. P. Sa. verb. Dubium, num. 1. P. Reginal. lib. 18. num. 176. Villalob. tract. de Conscient. diff. 21. P. Sanch. lib. 1. de Matr. d. 9. n. 11. & lib. 2. d. 41. num. 32. & lib. 1. decal. cap. 10. n. 36. & lib. 4. cap. 1. num. 16. P. Soar. tomo 5. in 3. part. d. 40. sect. 5. num. 15. & latius tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 5. num. 7. P. Rebel. de Just. part. 2. lib. 1. quæst. 2. num. 15. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 9. num. 2. Medin. lib. 1. sum. cap. 14. §. 7. Malder. 1. 2. d. 87. P. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. n. 31. P. Fillu. tomo 2. tract. 21. cap. 4. num. 165. P. Avila de Conf. p. 7. d. 2. dub. 5. conclus. 2. Diana p. 4. tr. 3. resol. 10. P. Fagun. 1. 2. lib. 2. cap. 1. n. 10. & alii.

166. **P**robatur primò, quia in proposito eventu juxta regulas à nobis traditas, nulla est possessio pro voto, juramento, vel promissione, sed tota pro voluntatis libertate; atqui in dubiis melior est conditio possidentis, ut supra diximus, & probavimus in omnibus materiis suffragari, neque tunc necessariò amplectendam esse partem tutiorem; ergo homo sic dubius de voto, juramento, aut promissione, liber manet ab eorum obligatione, dum suam libertatem possidet. Confirmatur primò, quia votum, juramentum, & promissio sunt dubia; ergo iniquum videtur cogi voventem, jurantem, & promittentem ad solutionem certam. Secundò, ex Gloss. in cap. Ex parte, de Censib. ubi ait in dubiis licere sequi, quod libuerit, & videtur loqui de voto, de quo agit ille textus; ergo &c.

167. **P**robatur secundò, quia idem in utroque foro judicandum est, quando externum non nititur fallæ præsump.

præsumptioni, nec in pœnam, iudicis sententia agentem damnat, ut tradunt *Bald. Authen. Ingressi de Sacrosanct. Eccles. n. 49. Navar. cap. Si quis autem de Penit. dist. 7. n. 36. Covar. cap. Cùm esses. de Testam. n. 7.* sed in foro externo nemo promissis cogitur stare, quamdiu de promissione non constat; idè enim si alicui volenti nubere objicias votum castitatis, non cogitur à matrimonio desistere, quamdiu illius votum non probas, cùm sit in possessione suæ libertatis; ergo neque sic cogendus est in foro conscientia servare votum, quamdiu in tali foro de voto non constat.

168. Probatur tertio, quia ubi agitur de obligatione inducenda, facienda est stricta interpretatio. *ex l. Quidquid astringendi. ff. de verbor. obligat. & cap. 1. de jur. jur. in 6. favetque Regul. Cùm sunt 11. de regul. jur. in 6. ibi: Cùm sunt partium iura obscura, Reo favendum est potius, quam Actori;* sed vovens, & promittens est Reus, cùm sit in possessione suæ libertatis; ergo illi in casu dubii favendum est.

169. Oppositum tenent *Cordub. sum. q. 147. Perez Certam. 10. dub. 2. n. 132. P. Vasq. 1. 2. d. 165. cap. 3. sine, P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 19. q. 10. & lib. 11. cap. 15. q. 2. Sayr. in clavi, lib. 1. cap. 13. n. 36. & P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica, sect. 17. n. 162. & sect. 25. num. 252.* dummodò, air, in impletione voti non sit magna incommoditas, & difficultas: pro quibus Argues 1. Extra materiam iustitiæ tutior pars eligi debet; siquidem extra illam non datur possessio; sed tutior pars est stare pro valore voti, juramenti, & promissionis; ergo &c. Respondeo negando majorem, & ejus probationem, ut patet ex supra dictis. Et deinde, quia quilibet habet jus latè sumptum in suas actiones, ut possit illas liberè, & sine obligatione exercere; ergo quamdiu non probatur, illas debere, pro illius libertate stat præsumptio.

170. Argues 2. Licet in dubio juris non sit necessarium eligere partem tutiorem; maxime tamen in dubio facti, præsertim in foro conscientia, ut colligitur ex cap. *Ad audientiam de Homicid. & tenent ibi. Joan. Andr. n. 46. Panorm. n. 2. & Felin. n. 17.* Ubi in dubio homicidii facti censetur quis irregularis; sed dubium, an votum emisisset (idemque de juramento, & promissione,) est dubium facti, ut ex se constat; ergo &c. Respondeo negando majorem; neque enim in dubio sive juris, sive facti, si dubium sit speculativum, datur obligatio sequendi partem tutiorem, ut supra diximus, licet id sit convenientius; & speciale in materia irregularitatis homicidii ob specialem reverentiam debitam rebus sacris, ut jam supra diximus, & infra dicemus.

171. Difficultas 2. Utrum dubitans adfuerit ne animus vovendi, jurandi, vel promittendi, teneatur voto, juramento, vel promissione? Advertendum est, dubium oriri posse ex duplici capite: Primò ex eo, quod verba prolata ambiguum sensum habeant, ita ut aliquando accipiantur in sensu verè promissorio, & aliquando non: aliquando denotent promissionem veram, & aliquando propositum: aliquando denotent juramentum, & aliquando simplicem assertionem, ut si quis dicat: Per fidem, vel conscientiam meam hoc faciam. Secundò, oriri potest dubium ex intentione, an scilicet quis habuerit intentionem vovendi, jurandi, aut promittendi, vel solum simulandi. His positis.

172. Dico 1. In primo casu, quando scilicet verba ambiguum sensum habent, perseverante dubio, non teneris voto, juramento, aut promissione. Ita *P. Soar. tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 33. n. 3. & lib. 4. cap. 6. n. 2. P. Pal. d. 3. de conscient. punct. 10. n. 2. & alii.* Probatur primò, quia in proposito casu du-

bium est, an sit votum, juramentum, aut promissio; sed in dubio voti, juramenti, aut promissionis, favendum est libertati, pro qua stat possessio, ut diximus; ergo &c. Secundò, ex cap. *Clericus de jur. jurand.* Ubi Clericus, qui juravit servare statuta suæ Ecclesiæ, præstito juramento, aliud statutum de novo factum est, promissitque per idem juramentum factum, se servaturum novum illud statutum, ad quod respondet Pontifex: *Licet, inquit, transgredi non debuerat, quod promissit, non tenetur ad illius observantiam ex debito præstiti juramenti, cùm tamen dubium esset, an juramentum antiquum ad præsentem materiam extenderetur;* ergo &c.

173. Dico 2. In secundo casu, quando scilicet dubium est de intentione vovendi, certum est, te esse obligatum voto, juramento, aut promissione. Ita *Navar. lib. 3. Confil. tit. 34. Confil. 4. sine, Cordub. sum. q. 147. Sylvest. verb. juramentum 4. q. 7. Anton. cap. Si verò de jur. jurand. n. 5. & ibi Abb. n. 10. Imola sine, Alex. de Nevo n. 38. Sor. lib. 8. de just. q. 1. art. 7. ad 4. Covar. 4. decret. 2. p. cap. 3. §. 5. n. 3. P. Sanch. lib. 1. de Matr. d. 9. n. 13. & lib. 3. d. 15. n. 9. P. Soar. lib. 2. de Juramento cap. 33. n. 4. & lib. 4. de Voto, cap. 6. n. 4. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 10. n. 4. & alii.* Probatur primò, quia probato facto, præsumuntur adfuisse omnia requisita ad illud, ut docet *P. Sanch. cit. ex Panorm. in cap. de his, qui n. 9. & cap. In presentia de probat. ubi probata professione, præsumitur profitemem habuisse legitimam ætatem, & neganti incumbit probatio;* sed in proposito casu constat de voto, juramento, aut promissione; ergo præsumi debet, animum requisitum adfuisse. Confirmatur, quia alioqui præsumeretur delictum mendacii; delictum autem præsumi non debet, nisi probetur ex cap. *de regul. jur. in 6. & cap. Absit 11. q. 3. & tradit Ulpian. in l. Merito ff. Pro socio;* ergo &c.

174. Probatur secundò, quia verba sunt signa intentionis; nemo enim præsumitur dicere, quod non sentit in corde. *l. Labeo 7. vers. Idem Tubero ff. de suppellect. legat. ibi: Non arbitrò, quemquam dicere, quod non sentit, & multis citatis tenet Tirac. in l. si unquam C. de Revocat. donat. verb. Libertis à num. 17. & Menoch. de Præsumpt. lib. 6. Præsumpt. 35. d. n. 2.* ergo quamdiu non probas, defuisse intentionem, præsumendum est ex verbis, te illam habere.

175. Probatur tertio, quia promissionem consequitur naturaliter obligatio, nisi expressè opponatur negatio contraria; sed in proposito casu constat de promissione, & dubitatur de animo contrario; ergo præsumptio, & possessio stat pro obligatione; ergo in dubio ea intentio præsumitur, & pro illa stat possessio. Confirmatur, quia quando quis fatetur delictum cum circumstantia excusante, valet ejus confessio quoad delictum, non tamen quoad circumstantiam, si jus contra illam præsumat; sic enim valet confessio dicentis se hominem necesse in propriam defensionem, quoad delictum, non verò quoad circumstantiam propriæ defensionis, quia jus contra homicidam præsumit injustè necesse, ut docent *Barr. l. Aurelius. §. Idem quaesit n. 2. ff. de Liber. legat. Decius, in cap. Cùm venerabilis de Except. n. 82. & cum aliis. Jul. Clar. lib. 5. recep. in pract. crim. §. fin. q. 55. vers. Posset quoque;* ergo dum quis fatetur, se emisisse votum, absque animo tamen se obligandi, credendum est ei quoad votum, non tamen quoad animi defectum, cùm præsumptio juris sit contra illum.

176. Objicies 1. In dubio non præsumitur animus se obligandi in juramento metu extorto, ut docent *Hosii. cap. Ad audientiam. De his, qua vi, vers. Resignavit*

Resignavit, & ibi Joan. Andr. n. 8. Abb. cap. Si verò de jur. jur. n. 10. D. Anton. 2. p. tit. 10. cap. S. Quintus, & alii; ergo juramentum in dubio de intentione non obligat. Respondeo cum P. Sanch. cit. hos Doctores agere de juramento coacto, in quo coactio præbet vehementem conjecturam ficti consensûs: licet adhuc verissimum sit, præsumi animum se obligandi, ut præsumptio delicti, sive mendacii vitetur, ut docet idem P. Sanch. lib. 1. de Matr. d. 9. n. 13. cum aliis ad citata capita.

177. Obijcies 2. Perindè videtur esse dubitare de animo se obligandi, ac dubitare de ipso voto, aut juramento; siquidem deficiente animo, non est votum, aut juramentum; sed dubitans de voto, aut juramento, illis non tenetur; ergo neque sic tenebitur dubitans de animo se obligandi. Respondeo negando majorem; quia dum omninò dubitatur de voto (idemque de juramento, aut promissione) nulla est ex parte voti possessio, sed tota se tenet ex parte libertatis, idèque non obligat, cum melior sit conditio possidentis: at verò in proposito casu votum est certum, & dubius animus, sicque possessio stat pro voto, & obligat, ut diximus.

178. Obijcies 3. Si quis puer votum emisit, dubitat tamen, an habuerit usum rationis dum vovit, non tenetur voto; neque ut teneatur sufficit quæcumque opinio usûs rationis, sed exigitur, rem esse adeò certam, ut nulla, aut tenuissima sit apud viros prudentes dubitatio; ergo &c. Respondeo interim cum P. Sanch. cit. si emittens votum septennium expleverit, cum jam jus præsumat usum rationis, is in dubio præsumendus est, & possessio stat pro voto: secus autem si emisit ante septennium, in quo casu, nisi expressè constet de rationis usu, neque votum, neque juramentum, neque quælibet alia promissio obligabunt, ut patet ex dictis.

179. Obijcies 4. In dubio, an valuerit professio, possessio est pro voluntatis libertate, ut colligitur ex cap. 1. De his, qua vi, ad finem: ibi: Si legitime probatum fuerit, non timore mortis prædictam mulierem religionem intrasse: ex quo textu constat, mulierem habitum dimittentem, professione jam emissa, cogendam esse ad religionem, si monasterium probaverit, sponte professam esse, quatenus pro illius libertate iteriter possessio; alioqui, non monasterium, sed ipsa teneretur metu probare. Respondeo cum P. Sanch. lib. 1. de Matr. d. 9. num. 14. ommissis aliis responsionibus apud ipsum, in proposito eventu, monasterium quidem probaturum non intervenisse metum; siquidem ex parte femine erat possessio, & præsumptio juris, quod per metum professionem emisit ex eo, quòd talis femina fuerat conjugata, & viro spoliata, sicque in favorem spoliî præsumebatur consensus metu extortus per text. in cap. 2. de Restit. spoliat. ibi: Quia non est verisimile, quod sponte juri suo renuntiavit, qui renuntiat spoliatus.

180. Hinc supra dictam doctrinam limitant Panorm. in cap. Si verò de jur. jur. aud. fin. Angel. verb. Juramentum; num. 10. Sylvest. Juramentum 4. q. 7. dicto 4. Seraphin. de Privileg. Jurament. Privileg. 110. n. 16. ut non intelligatur de juramento metu extorto, (idemque videtur dicendum de quacumque alia promissione); de hoc enim dicunt in casu dubio non præsumi jurantem habuisse intentionem jurandi, aut se obligandi, cum habuerit sufficientem causam simulandi intentionem ob violentiam sibi factam, sicque posse jus præsumere, talem simulationem adfuisse; licet oppositum teneant Felin. in cap. Si verò cit. Alex. Imol. Covar. P. Sanch. cit. num. 13. & cum illis P. Pal. cit. num. 5. qui tamen intelligendi

Tomo 2.

sunt, quando solum conjecturæ aiter constaret de metu incusso; tunc enim possessio, & præsumptio est pro voto, & juramento; quamdiu contrarium non probatur.

## SECTIO IX.

## Elucidatur magis tradita doctrina.

181. **D**IFFICULTAS 1. Utrum dubius de deliberatione teneatur voto, juramento, aut promissione? Advertes ex multiplici capite oriri posse indeliberationem: Primò ex ætate, cum sit tenera. Secundò ex impedimento naturali, & accidentario, quale est somnus, phrenesis, aut ebrietas. Tertio ex subita passione. His positis.

182. Dico 1. ex solo impedimento ætatis præcisè defumi non potest efficax argumentum ad annullandum votum, promissionem, aut juramentum. Ita P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 11. n. 2. Probatur, quia puer ante septennium potest esse doli capax, malitiâ supplente ætatem, ut colligitur ex cap. Juvénis de sponsal. ergo tunc vota, juramenta, & sponsalia valebunt.

183. Dico 2. Quando quis ante septennium emisit votum, (idemque dicendum de juramento, aut promissione,) invalidum reputari debet tale votum: validum autem, si illud post septennium emisit. Ita P. Sanch. lib. 1. de Matr. d. 9. n. 12. & 14. & lib. 4. decal. cap. 1. n. 14. P. Soar. tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 6. n. 6. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 11. n. 2. Villalob. tom. 2. sum. tr. 34. diff. 7. n. 3. Faust. tract. de Relig. lib. 1. q. 26. Malder. 2. 2. tr. 10. cap. 1. dub. 5. & alii. Probatur 1. pars, quia ante septennium raro, aut nunquam perfectus usus rationis contingit; ideoque votum ante septennium regulariter reputatur invalidum; ergo indubio invalidum reputari debet, cum sit conjectura non levis, defuisse usum rationis.

184. Probatur secunda pars, quia transacto septennio, jus præsumit perfectum usum rationis, nisi aliundè contrarium probetur; ergo præsumptio, & possessio stat pro voto; consequenterque debet validum reputari.

185. Dico 3. In dubio, an quis expleverit septennium, præsumendum est explevisse, & votum valere. Ita P. Sanch. lib. 4. decal. cap. 1. n. 14. Probatur primò, quia raro sunt vota ante septennium; communiter enim fiunt illo expleto, & usu rationis adveniente; præsumptio autem ex communiter contingentibus sumi debet; ergo &c. Secundò, quia constat de voto, excusatio autem est dubia; ergo pro voto standum est, pro quo stat præsumptio, & possessio. Confirmatur, quia in casu dubio semper stari debet pro valore actûs, pro quo stat possessio; ergo &c.

186. Probatur tertio, ex cap. In presentia de probat. Ubi alleganti votum emisisse in minori ætate, neque sufficienter probanti, declaratur fuisse validum; ergo &c. Confirmatur ex doctrina Bald. in l. Si major. sine. C. commun. dividundo. Ubi dicit, cum quis velit elidere dictum propter inhabilitatem ætatis, debeat omninò probare talem inhabilitatem: idemque habet in Concil. 66. num. 5. vol. 3. de eo, qui petit restitutionem de aliqua læsione; ergo etiam qui vult allegare, emisisse votum ante septennium, ei incumbit onus probandi, alioqui pro voto, aut promissione standum.

187. Oppositum tanquam probabile tenent Sor. lib. 7. de Just. quest. 3. art. 2. docum. 1. S. Sed est hic, Vega lib. 4. sum. casu 416. Capua lib. 2. decis. cap. 31. sine. Beja casu 49. sum. fol. 233. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct.